

ARTICULUS II.

AN ACTUS FIDEI SUPERNATURALIS SIT CERTUS?

197. *Nota.* Veritas desumitur a conformitate actus cum objecto : *certitudo* autem ab infallibilitate proficiscitur, quæ excludendo formidinem reddit intellectum certum. *Formalis* est ineluctabilis et necessaria conformitas actus cum objecto, unde etiam certitudo *inhæsiva* seu inhæsiōnis, et infallibilitatis seu indefectibilitatis a vero dicitur. *Subjectiva* est imperturbabilis et immobilis alligatio vel adhæsiō intellectus ad objectum, seu firmitas, qua intellectus objecto adhæret, excludendo omne dubium ac formidinem; unde etiam certitudo *adhæsiva* seu adhæsiōnis, firmitatis item ac indubitabilitatis vocatur. *Objectiva* est infallibilis sic se habentia objecti, stans in eo, vel quod objectum antecedenter et in seipso non possit aliter se habere, vel quod ratio objectiva assentiendi talis sit, ut ei non possit subesse falsum. De certitudine *formali* et *subjectiva* actus fidei, h. e. de infallibilitate et indubitabilitate, eaque tam absoluta et positiva quam respectiva et comparativa nobis duntaxat sermo est.

198. *Dico I.* Actus fidei supernaturalis est certus certitudine infallibilitatis ac indubitabilitatis.

Prob. 1^a. p. Quia Conc. Trid. Sess. 6. tum c. 9. tum can. 16. supponit infallibilem et absolutam certitudinem haberi per fidem, ubi dicit nullum scire posse certitudine fidei, cui nequeat subesse falsum, se gratiam Dei consecutum; et damnat dicentem se certo, absoluta et infallibili certitudine, habiturum donum perseverantiæ, nisi ex speciali revelatione id uterque didicerit.

Conf. Actus intrinsece connexus *metaphysice* cum objecto ita se habente, ut ipse enuntiat, est actus formaliter certus certitudine metaphysicæ infallibilitatis : sed actus fidei supernaturalis intrinsece ita est connexus; tum propter tendentiam suam in objectum formale, quod, utpote auctoritas et revelatio divina, nec de potentia absoluta ad falsum credendum movere nos potest; tum propter supernaturale lumen fidei tam actuale quam habituale, quod similiter ad veritatem determinatum est; ergo.

Prob. 2^a. p. Talis est actus fidei supernaturalis ex sua natura, qualem Act. 8. requisiverat ab Eunuchō Philippus, cum diceret : *Si credis ex toto corde, licet.* Sed fides ex toto corde dicit actum formaliter certum certitudine indubitabilitatis; unde et BASIL. serm. de Fide, n. 1. (opp. t. 2. p. 224. D.) inquit : *Fides est assensus non hæsitans de his, quæ audita sunt certitudine summæ veritatis;* ergo.

Conf. Actus fidei supernaturalis concipitur sub iudicio evidenti de prudenti credibilitate, atque hinc de eo, quod imprudens sit omnis dubitatio vel formido in oppositum; ergo ita concipitur, ut sit adhæsive certus, atque sua firmitate et adhæsiōne excludat tanquam imprudentem omnem dubitationem ac formidinem.

Conf. utr. p. Ex SCRIPTURIS. Nam Tob. 3. dicitur : *Pro certo habeat omnis, qui credit in te.* 2. ad Tim. 1. autem Apostolus inquit : *Scio cui credidi, et*

certus sum. Et Act. 2. *Certissime sciat domus Israel, quia et Dominum cum et Christum fecit Deus hunc Jesum.* Quæ omnia, cum certitudinem propriam significant, et *infallibilitatem* et *indubitabilitatem* demonstrant, quibus tanquam cardinibus aut partibus vera certitudo nititur et constat.

199. *Dico II.* Actus fidei supernaturalis aliquo vero sensu est utraque certitudine certior cognitionibus naturalibus certis.

Prob. I. Quoad excessum *infallibilitatis* : Lucæ 21. 33. Christus ait : *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt;* quæ juxta Interpretes non sunt dicta duntaxat ad manifestandam verborum Dei indefectibilitatem a vero, sed et ad excessum in hoc genere supra certitudinem aliam omnem. 2. Petr. 1. 19. Apostolus prophetiam fidemque illi innixam, comparans cum certitudine ex physica scientia hausta, *Habemus, inquit, firmiter propheticum sermonem, cui benefacilis attendentes.* 1. Joan. 5. 9. scribitur : *Si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei majus est;* nempe fidem magis ob sui certitudinem meretur.

Prob. II. Quoad excessum *indubitabilitatis* ex iisdem testimoniis, et SS. Patribus : CHRYS. hom. 21. in c. 11. n. 2. ad Hebr. *Atque rursus, si de iis quæ non cadunt sub aspectum non apertius fuerit cuiquam persuasum, quam de iis quæ videntur, non potest esse fides.* AUG. L. 7. Conf. c. 10. *Audivi sicut auditur in corde, et non erat prorsus unde dubitarem; faciliusque dubitarem vivere me, quam non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt intellecta conspicitur.* BASIL. in Ps. 115. n. 1. (in append. t. 1. p. 371. C.) *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens;* et serm. de Fide, n. 1. *Fides est assensus non hæsitans de his, quæ audita sunt certitudine summæ veritatis;* Item ep. 43. (al. 38. n. 5.) : *Potior est fides quarumvis ratiocinationum complexione.*

Conf. 1. utr. p. Assensus fidei supernaturalis est actus virtutis theologicæ, cujus essentia est ferri in motivum suum super omnia sibi opposita; ergo imprimis est *adhæsive* certior, quia veritatem primam debet apprehendere super omnia, cum quibus comparari potest : deinde etiam est *inhæsive* certior, quia, cum adhæsiō illa non sit imprudens, sed vera etiam ac prudentissima, debet supponere certitudinem infallibilitatis majorem præ illis omnibus certis, præ quibus veritati primæ et objecto revelato adhæret.

Conf. 2. Ex damnatione Innocentii in prop. 19. lata, voluntas potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium : sed pondus rationum meretur assensum utraque certitudine certum; ergo assensus fidei potest magis esse utraque certitudine certus, sive certior.

200. *Obj. cont. 1^{um}.* Actus fidei admittunt has reflexiones : forte fallor ; forte revelatio non existit; ergo saltem non est simpliciter et absolute certus *adhæsive*. *Prob. Ant.* Admittit hæc iudicia : tota apparentia credibilitatis, sub qua mihi proponitur hoc mysterium, metaphysicæ non connectitur cum existentia revelationis : *Item,* non est metaphysicæ impossibile, quod hoc objectum aliter se habeat : denique, forsan hic actus non est fidei supernaturalis; ergo.

R. N. A. Quia has reflexiones sive per ipsam fidei naturam sive per piam affectionem excludi a fidei assensu aperte constat ex dictis.

Ad prob. Quoad 1^{um}. N. m. Equidem nec apparentia et certitudo credibilitatis respectiva, nec etiam quatenus nobis innotescit, metaphysice connectitur cum existentia revelationis: licet illa connexio reipsa concedenda sit credibilitati perfectæ et absolutæ; sicut tamen hoc iudicium: tota apparentia credibilitatis, sub qua mihi proponitur Ciceronem extitisse, non connectitur metaphysice cum existentia Ciceronis; sicut, inquam, hoc iudicium non facit locum huic reflexioni: forsitan Cicero non extitit: sic multo minus id fit in fide; quia iudicium credibilitatis certo suadet, prudenter posse ac debere credi mysteria toto corde et sine ulla hæsitatione; adeoque ejusmodi reflexiones cedere oportet.

Quoad 2^{um}. N. M. Ratio cur hoc iudicium: non est metaphysice impossibile, quod hoc objectum aliter se habeat; non componatur cum fide, hæc est; quia actus fidei habet certitudinem metaphysice infallibilitatis, adeoque per actum fidei exercite iudicatur metaphysice impossibilis alia habentia objecti.

Quoad 3^{um}. D. M. Admittit hoc iudicium: forte hic actus non est fidei supernaturalis, quantum ad entitatem actus aut principium, a quo elicitur C. quantum ad motivum N. Sensus distinctionis hic est: Certi non sumus, quod hic assensus, quem hic et nunc præbemus mysterio revelato, sit revera supernaturalis, adeoque de hoc formidare possumus, sicut de supernaturalitate aliorum actuum omnium; eo quod supernaturalitas non subiacet experimento: stante tamen actu fidei, non possumus formidare an hic actus, quantum ex parte motivi, sit actus fidei; quia hoc esset formidare de existentia revelationis, quod fieri non potest: cum actus fidei revelationem etiam attingat intrinsece ut quod et firmissime credat, adeoque exercite dicat metaphysice impossibile esse, quod objectum deficiat.

Inst. 1. Fides assentitur tantum mysterio assensu super omnia certo, sub conditione quod Deus sit locutus; sicut etiam hæretici omne credunt esse verum, si Deus illud dixit. Item, si probabilis tantum notitia revelationis præcederet, intellectus non posset prudenter affirmare esse moraliter impossibile, quod objectum aliter se habeat; ergo pariter, præcedente tantum notitia moraliter certa, prudenter nequit affirmare esse metaphysice impossibile, quod objectum se aliter habeat.

R. N. A. Ad 1^{um}. R. Ejusmodi actus in hæretico est fides duntaxat de Dei veracitate, vel potius animi præparatio aut propensio ad fidem eliciendam, si quid a Deo revelatum proponatur.

Ad 2^{um}. R. Disparitas est, quia prudens formido exercite vel signate importata in notitia probabili, ne quidem exercite potest prudenter rejici, dummodo maneat et appareat prudens: at in ipsa notitia moraliter certa jam apparet imprudens formido, adeoque prudenter rejici potest; et sic evidenter apparere prudens credibilitas actu firmissimo. Quare enim supponens ut certam divinam auctoritatem revelantem potest, exercite affirmare, esse omnino impossibile, v. g. Verbum non esse incarnatum; quatenus assensus sine formidine nitens divinæ auctoritati est exercite certitudo et infallibilitas talis objecti.

Inst. 2. Assensus fidei solum extrinsece et ratione imperii voluntatis excludit

formidinem de opposito; ergo dici nequit simpliciter adhæsive certus. Ant. patet; tum quia solum opponitur cum formidine deliberata, quod signum est, hanc oppositionem provenire a voluntatis imperio: tum quia hoc indicare videtur D. TR. q. 14. de ver. a. 1: ubi intellectum per fidem captivatum dicit teneri terminis alienis, non propriis. Cons. similiter liquet; quia per adhæsivam certitudinem simpliciter talem intelligitur firmitas ipsius actus et intrinseca.

R. 1^o. N. A. Firmitas enim fidei partim est extrinseca, partim intrinseca seu fidei ex seipsa etiam et non tantum a voluntatis imperio conveniens, ut ex prop. 19. damnat. liquet. Ratio: tum quia sicut adhæsiō affectiva actibus voluntatis efficacibus, et evidentia actui evidenti intellectus est intrinseca; sic etiam iudicio certo, quale est fides, adhæsiō intentionalis ad suum objectum debet esse intrinseca, ita ut ex suo modo tendendi physice repugnet cum omni formidine etiam imprudente ac indeliberata circa articulum, quem credit: tum quia fides est intellectualis appetitatio super omnia, sicut actus charitatis est affectiva appetitatio ejusmodi; atque hinc non minus quam ista per se ac ratione sui, adeoque intrinsece etiam firmitatem dicit, excluditque formidinem.

Ad prob. 1^{am}. N. Ass. Firmitas fidei, quæ a voluntatis imperio oritur, non impedit, quominus ipse actus fidei ex suo modo tendendi componi nequeat cum formidine circa suum objectum sive deliberata et prudenti sive indeliberata et imprudenti. Hinc formido indeliberata apud pios et deliberata apud improbos, aliique motus de contrario insurgunt duntaxat in credente, quando actus fidei, mora licet imperceptibili, præterit aut necdum est: si tamen aliquando coexistat, vel formidinis actus non est judicativus sed pure apprehensivus, vel potius non est in intellectu sed in phantasia.

Ad prob. 2^{am}. R. S. THOMAM his verbis indicare voluisse, firmam intellectus adhæsionem, quanta in fide est, haberi mediante imperio voluntatis; non autem, formaliter adæquate consistere in voluntatis imperio.

R. 2^o. T. A. N. Cons. Loquimur de adhæsione prudenti seu regulata a dictamine prudentiæ, quod dicit posse ac debere affirmari actu firmissimo; adeoque si probatio allata tenet, hoc ipso voluntas imperat actum etiam intrinsece certum. Præterea vero, nisi tō simpliciter sumatur pro omnimode ac ex omni parte, falsum est, certitudinem simpliciter adhæsivam includere utramque; cum sive intrinseca sive extrinseca certitudo sit, recte dicatur certitudo adhæsiva simpliciter talis.

201. Obj. cont. 2^{um}. S. AUG. L. 15. de Trin. ait: Per scientiam roboratur fides. D. TR. hic q. 4. a. 8. dicit, virtutes intellectuales, sapientiam, nempe scientiam et intellectum esse certiores ex parte subjecti præ fide. HUGO A S. VICTORE: Fides, inquit absolute, est certitudo supra opinionem, et infra scientiam; ergo fides non est certior cognitionibus naturalibus. Conf. Actus scientiæ includit potentiam antecedentem formidandi, et consequentem etiam recessum a se impedit; ergo major est certitudo scientiæ, quam fidei, quæ nec ante, nec post assensum excludit omnem formidinem, et quia sæpe est de objecto contingente, mutari potest.

R. N. A. prob. D. Fides roboratur extrinsece per scientiam, quatenus per hanc penetrantur mysteria, et est infra scientiam seu minus certa quoad

nōs et nostram innotescēntiam *C.* roboratur *intrinsece*, et quoad se minūs certa est aut infra scientiam *N.* Distinctionem hanc insinuat S. THOMAS I. e. comparans fidei certitudinem cum memoratis virtutibus intellectualibus, ac ita disserens: *Certitudo dupliciter considerari potest. Uno modo ex causa certitudinis: et sic certius dicitur illud, quod habet certiozem causam. Hoc modo fides est certior tribus prædictis; quia fides innititur veritati divinæ: tria autem prædicta nituntur rationi humanæ. Alio modo potest considerari certitudo ex parte subjecti: et sic certius dicitur, quod plenius consequitur intellectus hominis. Et per hunc modum, quia ea, quæ sunt fidei, sunt supra intellectum hominis, non autem ea, quæ subsunt tribus prædictis: ideo ex hac parte fides est minus certa. Sed quia unumquodque judicatur simpliciter quidem secundum causam suam; secundum autem dispositionem, quæ ex parte subjecti est, secundum quid: inde est, quod fides est simpliciter certior, sed alia sunt certiora secundum quid.*

Ad Conf. R. Hoc unice evinci, quod assensus scientiæ sit necessarius, et tam in actu primo excludat formidinem, quam post actum secundum; fides autem sit libera, ac formidinem tantum removeat, dum existit et in actu secundo: minime vero sequitur adhæsivam certitudinem fidei esse minorem ac scientiæ. Nam quod actus *primus* excludat, vel permittat formidandi potentiam, ab actibus præviis potius quam ab ipsa scientia aut fide habetur; deinde certitudinem *adhæsivam* pensandam non esse ab eo, quod potest accidere post assensum, patet in amore Dei super omnia, qui, quantumvis sit adhæsionis summæ, relinqui postmodum ab homine, tanquam actus liber, potest, licet non ita facile a complacentia simplici, utpote necessaria, recedatur. Denique observandum, quod quamvis objectum fidei, si est contingens, *absolute* et *per se* loquendo possit se aliter habere, tamen id nequeat ex supposito factæ revelationis divinæ, in quo fundatur actus fidei, ac consequenter exerceat iudicat objectum jam aliter se habere non posse.

QUÆRES: *In quonam stet excessus certitudinis fidei supra alias cognitiones naturales certas?*

202. R. I. Excessus certitudinis quoad infallibilitatem actus fidei supernaturalis supra cognitiones naturales *moraliter* vel *physice* certas est formalis, et stat in eo quod actus fidei sit metaphysice infallibilis.

Prob. Infallibilitas metaphysica *intensive* excedit infallibilitatem moralem et physicam: sed metaphysica infallibilitas convenit actui fidei supernaturalis; ergo excessus infallibilitatis fidei supra infallibilitatem actuum moraliter aut physice certorum est *formalis et intensivus*, statque in metaphysica a vero indefectibilitate.

203. R. II. Excessus certitudinis quoad infallibilitatem fidei supernaturalis supra cognitiones *metaphysice* certas est tantum *radicalis*, stans in eo quod actus fidei ex sua intrinseca perfectione et ex pluribus principiis sit infallibilis.

Prob. 1^o. Ille excessus infallibilitatis in actu fidei intensivus et formalis præ cognitione naturali *metaphysice* evidenti haberetur, vel ex eo quod plura vel nobilitiora sint principia, a quibus fides suam infallibilitatem sor-

titur, vel ex eo quod magis repugnet actum fidei esse fallibilem; ex neutro capite actui fidei vindicari potest *formaliter et intensive* major infallibilitas: nam imprimis plura et nobilitiora principia faciunt quidem infallibilitatem respicere plures titulos aut esse altioris ordinis, non autem formaliter ac intrinsece majorem: deinde vero ex supposito illo impossibili, quo actus fidei ejusque principia adhuc exigent, non esse falsa, dum actus naturalis metaphysice certus posset falli, eruitur duntaxat *materialiter* non autem *formaliter* major infallibilitas; ergo.

Prob. 2^o. Certitudo actus naturalis metaphysice infallibilis provenit duntaxat ab eo, quod objectum hujus actus se aliter habere non possit: certitudo autem actus fidei inde profluit, quod ipse essentialiter exigit objectum ita se habere ut enuntiat, quantumvis ex se contingens sit; tum quia pro objecto formali habet auctoritatem Dei revelantis, quæ metaphysice conexa est cum veritate objecti: tum quia est actus habitus fidei essentialiter determinati ad actus veros: tum quia, ex participatione superna luminis actualis, est intrinsece supernaturalis, cui repugnat falsitas: sed hæc infallibilitas est *radicaliter* major, statque in eo quod actus fidei ex intrinseca perfectione sit infallibilis; ergo.

Conf. Tenet hæc argumentatio: Assensus fidei divinæ sic enuntiat; ergo res ita se habet; non autem tenet similis argumentatio in actibus naturalibus metaphysice evidentibus: si enim per impossibile eorum objectum non esset necessarium, sed contingens, et aliter se habere posset, ac naturalis actus metaphysice infallibilis enuntiat, hic non foret metaphysice infallibilis: unde ex hoc præcise, quod hic actus ita enuntiet, nulla habita ratione ad objecti necessitatem, non infertur *formaliter*, quod objectum sic se habeat; ergo cum hujusmodi actus aliunde sint metaphysice infallibiles, neque in hoc prædicato suscipiatur majus aut minus, superantur ab actu fidei in illa intrinseca perfectione.

204. R. III. Assensus fidei quoad certitudinem *adhæsivam* excedit excessu appretiationis intellectualis omnes assensus naturales, *dependentes a voluntate*, si non sint ne quidem *putative* assensus fidei divinæ.

Prob. 1^a. p. Assensus naturales a voluntate dependentes vel sunt actus opinativi, vel assensus moraliter aut etiam physice certi: sed hos omnes excedit certitudine adhæsiva assensus fidei; tum quia actus *opinati* formidinem prudentem non excludunt: tum quia in actibus etiam *physice* certis potest adesse ratio formidandi nonnunquam de sensuum illusionem, vel de eo quod miraculum intervenerit; ergo.

Conf. Assensus ille est altero *adhæsive appretiative* certior, quorum alteruter si relinquendus foret, hic retineretur, altero negato et relicto: sed si vel assensus fidei vel naturalis alius a voluntate dependens foret relinquendus, recedendum esset ab assensu tali naturali, non vero ab assensu fidei; ut jam a fidei fit in actu fidei de presentia Christi in Eucharistia, et fieri debet, ne committatur gravis irreverentia in auctoritatem divinam; ergo assensus fidei est *adhæsive appretiative* certior, quam assensus alius naturalis a voluntate dependens.

Prob. 2^a. p. Non datur discerniculum ullum in fidei articulum verum credente; et voluntas æque indubitabiliter imperat actum fidei existima-

tum ac verum, ut patet tum experientia in Hæreticorum *materialiter* talium adhæsione, tum ratione ejusdem objecti formalis saltem invincibiliter existimati; ergo certitudo adhæsiva fidei veræ non superat certitudinem adhæsivam assensus fidei divinæ tantum putatiæ.

205. R. IV. Assensus fidei quoad certitudinem *adhæsivam* non excedit assensus naturales metaphysice certos seu evidentes, et a voluntate independentes; quin excessus appretiationis in fide supra hos assensus et impossibilis est, nec ad certitudinem fidei necessarius aut utilis.

Prob. 1^a. p. In vero metaphysice evidenti, tanquam in suo centro perfecte possesso, immobiliter, ac omnino indubitabiliter pondere naturalis sui appetitus sistit et quiescit intellectus; ergo nequit adhæsio firmior in alio quocumque actu a voluntate imperari; tum quia nulla ratio dicendi est, quod imperium voluntatis hoc in negotio plus possit, quam evidentia: tum quia intellectus magis adhærere nequit, quam excludendo titubationem omnem ac formidinem, et modo quidem appetitum suum proprie adæquateque satiante; id quod per evidentiam præstatur.

Prob. 2^a. p. Excessus appretiativus adhæsivæ certitudinis in fide non est possibilis respective ad et supra assensus, v. g. *Quidlibet est, vel non est; Totum est majus sua parte etc.*; si credens non possit esse paratus ad hos assensus negandos, quando repugnare viderentur rei revelatæ: sed credens sic nequit esse paratus; tum quia non potest esse paratus negare, quod negare non est in ejus potestate: tum quia impossibile est, quod res proponatur ut fidei credibilis, si in contrarium obstat certitudo metaphysica seu evidentia; ergo.

Prob. 3^a. p. Si excessus appretiationis in fide supra assensus metaphysice certos esset necessarius aut utilis, ergo per hoc, quod hac ratione intelligeretur ejus certitudo *supra omnia*: atqui ad hoc obtinendum vel intelligendum non requiritur aut confert ille excessus; tum quia certitudo debet tantum esse supra omnia sibi absolute opposita, non autem supra omnia, quæ tantum *sub hypothesi impossibili* conditionate opponuntur, eo quod hæc chimerica sibi vix ullus proponat, nec ullus proponere aut comparare teneatur: tum quia ad amorem Dei super omnia habendum non requiritur voluntas, qua dicam v. g. Odio prosequeretur Deum si hoc ipsi placeret etc.; ergo.

ARTICULUS III.

AN ET QUOMODO ACTUS FIDEI SUPERNATURALIS SIT OBSCURUS?

206. *Nota.* Fidem aliquam ratione obscuram esse, unanimis fert Catholicorum sententia contra Hæreticos tum antiquiores, tum recentiores; atque hæc quidem obscuritas vocatur *præcisiva* seu *permissiva*, quatenus nullum fidei prædicatum ex natura sua evidentiam aliquam aut ex parte objecti materialis, aut ex parte rationis humanæ exigit. Præter hanc quidam non aliam videntur admittere fidei obscuritatem, quam *respectivam*; eo quod fides ex parte motivi sui proprii per se requirat aut habeat evidentiam, adeoque absolute, simpliciter ac positive clara sit, et nequeat dici obscura, nisi

comparative et respective, quatenus non est tam clara, quam evidentia physica aut metaphysica. Alii tamen communiter assensum fidei divinæ ex natura sua et *positive* obscurum statuunt, voluntque eum per se esse actum inevidentem, qui exigit habere defectum seu negationem evidentiam, sive ratione motivi proprii et objecti formalis, sive ratione objecti materialis. Loquuntur autem omnes de fide *theologice* sumpta, qualis a nobis habetur in via, et elicitur ab habitu supernaturali proprio, de quo ex Scriptura, Conciliis et Patribus notitiam habemus.

207. *Dico.* Assensus fidei divinæ supernaturalis ex natura sua et *positive* est obscurus.

Prob. Apostolus ad Hebr. 11. 1. *Est autem, inquit, fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.* In quem locum S. CHRYS. sic commentatur: *Si fides est argumentum non apparentium, quid est, quod ea vultis videre, ut a fide excidatis?* GREG. M. autem hom. 26. in Evang. n. 8. *Profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt: quæ etenim apparent jam non habent fidem, sed agnitionem.* 1. Ad Cor. 13. 12. *Videmus, ait, nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: ubi videmus idem est ac cognoscimus, prout S. THOMAS ad hunc locum notat: adeoque fides ænigmatica tantum, h. e. obscura cognitio esse convincitur.* Denique 2. Pet. 1. 19. *fides appellatur Lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat etc.*; quod Auctor L. de Mystica Theol. c. 1. sic explicat: *Non nisi per sacræ caliginis tenebras humanæ mentes nec possunt nec debent divina contemplari mysteria.* Accedunt tum illud Christi dictum: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt*; tum illud S. THOMÆ Apostoli factum, quo *aliud vidit, aliud credidit*; tum plura testimonia Patrum: quale illud S. ATHAN. L. 2. cont. Apollinar. de salut. adventu Christi n. 11. *Neque enim fides evidenter apparens fides dici potuerit; verum fides est quæ quod impossibile est (apparenter nempe aut negative) in potentia.... esse credit.* Et illa S. AUGUSTINI quæstio Tr. 40. in Joan. n. 9. *Quid est fides, nisi credere, quod non vides?* Nec minus assertio ejusdem Serm. 1. de Trin. de temp. 189. (al. in append. 232. n. 2.): *Fidelis factus sum, credo quod nescio etc.* Unde S. THOMAS q. 14. de Verit. a. 3. ad 6. respondet, veritatem primam non esse objectum proprium fidei, nisi sub hac ratione, prout est non apparens.

Conf. 1. Quamvis objectum fidei sit evidenter credibile, tamen non est evidenter verum; ergo et actus ipse fidei nequit esse evidens.

Conf. 2. Fides nostra est libera, honesta ac meritoria; ergo requirit imperium voluntatis: sed si fidei actus ne absolute ac simpliciter quidem obscurus foret, hæc illi non competere; nam juxta S. AUG. Tr. 89. in Joan. n. 1. *Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur*; et juxta S. GREG. M. hom. 26. n. 1. in Evang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*; et ex ratione liquet, nec libertatem, nec voluntatis imperium locum habere, ubi evidentia obtinet ac necessitatem assensui imponit; ergo.

Conf. 3. Si actui fidei posset convenire evidentia, nulla foret ratio, cur habitus fidei infusæ non remaneret in Beatis; nam et in Beatis sunt judicia intuitiva auctoritatis divinæ et revelationum circa objecta, quæ nos credimus, et olim ipsi crediderunt, donec erant in via; per quæ judicia ex natura